



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Si quis clericus homicidium fecerit, ab ordine cessare debebit. xlvii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

*Si quis clericus homicidium fecerit, ab ordine cessare
debet. Cap. XLVII.*

Siquis clericus, quavis nimirum coactus, homicidium fecerit, siue sit presbyter, siue diaconus, deponatur. Legimus in canonibus apostolorum, quod episcopus presbyter, aut diaconus, qui in fornicatione, aut periurio, aut furto captus est, deponatur: quanto magis is qui hoc immane scelus fecerit, ab ordine cessare debet? Qui enim Christum sequi desiderat, debet sicut ipse ambulavit & ipse ambulare. Qui cum malediceretur, non maledicebat. Quum percuteretur, non repercutiebat. Cum pro nobis pateretur, non comminabatur. Et ipse in Evangelio suo precepit: Si quis te percusserit in una maxillam, praebe illi & alteram. Non enim debemus occidere, cum dominus dicat: Audistis quia dictum est antiquis, non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Nec malum pro malo reddere, sed sicut Apostolus Romanis scribens, ait: Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. Si quis clericorum praesens erit, ubi homicidium factum fuerit, & neque consensu, neque consultu, nec in aliquo homicidij reatu pollutus esse conuincitur, nihil ei obstat quin consecratus in gradu permaneat. Non consecratus, si alius dignus sit, promotus accedat.

*Ex concil.
Triburien-
si, cui inter-
fuit
rex Ar-
nolphus
cap. 11.*

*De eo si quis in hostem contra paganos dimicans interficit
Christianos captiuos. Cap. XLVIII.*

*Ex eodem
concil. cui
interfuit
rex Ar-
nolphus.
cap. 34.*

Saepe fit victoria Christianorum, victa est pars paganorum. Quare una cum interfectis paganis percepti fuerint Christiani captiui a barbaris, quia in imperu belli nequeunt distinguantur. Idcirco iustum decernentes, statuimus, cum interfecto- rum misericordius agendum, ita ut XL diebus poenitentiae indulgentius transactis, penes episcopum sit autoritas & potestas ut perpendat culpam, agat indulgentiam.

*De eo qui Christianum mancipium seduxerit & sic ven-
diderit. Cap. XLIX.*

*Ex concil.
apud Co-
fluentiam
cui inter-
fuit Hen-
ricus &
Carolus
reges.
cap. 7.*

Item interrogatum est, quid de eo faciendum sit, qui Christianum hominem seduxerit, & sic vendiderit. Responsumque est ab omnibus, homicidij reatum ipsum hominem sibi contrahere.

FINIS Libri Sexti.